

gni, singularique probitate, quibus prædictis dotibus, & se dilectum Indis atque Hispanis exhibuit, & Regis Catholici dominia firmavit & auxit, ac, quo nihil habuit antiquius, Dei gloriam animarumque salutem admirabili zelo promovit. Geminis in hos fines Clastes instruxit, è quicis alteram ad Philipinas Insulas anno 1545. quamvis infelici successu, infido, nec satis agnito mari commisit; alteram versus Californiae ad anno 1539 ad 1541. quas Franciscus de Alarcon navium Imperator invisit, scripta que narratione Americanis palam dedit, & Europeis; eodem tempore Francisco Vásquez Coronado rem terrestri itinere procurante, atque in veterem per novam Mexicanum revertente. Turbatis Peruvicis gentibus, earumque Gubernatore à Mexicanis supprias postulante, eas ut prelato ferret, Legiones supplevit, sexcentisque militibus D. Franciscum de Mendoza filium suum præfecit, quamquam in procinctu omnibus, receptui cecinerit, quod pacatas in Meridionali America res agnoverit, ipso qui auxiliū postulaverat Præside id per litteras enunciante.

313 Americam quod attinet nostram curæ sua demandatam magna ex parte lustravit, totique fovendæ protegendæque incubuit. Pecuaria, armenta, idque genus alia, ex Hispanijs adducta, in optimis Regionibus, & eis alendis

aliquidisque aptissimis, diligenterissime curari fategit, felici adeo successu, ut credi vix possit quantum deinceps excreverint, tantum expatiata ut non Provinciæ modo sed Regna condì multa possint his in agris, & latifundijs, quæ pecudibus sunt destinata. Monetam ex ære primùm cudi mandavit Mexici, quæ cum displicebat assuetis auro & argento familiariter uti, rejecta ab ipso fuit, eusque argentea, mox etiam aurea, tantà in posterum copiâ, ut non Europa tantum, sed totus propemodum Orbis Mexicanis nummis, argenteis, uncialibus, alijsque pretiosis monetis abundaverit, atque etiamnum incredibili opulentia ditescat. Multæ ea tempestate argenti fodinae detectæ fuere; nec ipse tantum Nostri vigilantiâ decretisque exultæ, sed Officinæ quoque, textrinaque pro lanceis vestibus in primis, usum incremetumque habuere. Sævissima pestis Indos invaserit anno 1545 quæ latissimè scorpens absulpsit inumeros, & Antonius ægrotantibus quidem prælato fuit auxilio, paternâ misericordia subveniens. Omnia, hercule, circūspiciebat, opportunisque operibus Reipublicæ commodis vigilabat, propterea optimè de ipsa meritus. Ut litteris etiam excoloreret, apud Cæarem Carolum V. Hispaniarum potentem egit, quantum & Religioni & Regno profutura foret exponens Universitas Scientiarum, si instar Salmant-

censis & aliarum Europa florentium, Mexici erigeretur, qua non multo post dextero sydere instituta est. Prius vero dilectissimus homo curaverat Typographiam in Novum hunc Orbem ex antiquo deferrit, ptimumque Typographum Mexici instituit, cuius formis multi statim libri excudi cœperunt. His multisque incumbentem Nostrum alijs, postquam 17 annos pace iustitiae florentem Mexicanam moderatus fuerat ditionem, anno 1551 Pro-Regem in Americam alteram destinatum nostra multis abeuntem lachrymis prosecuta est, uberioribus autem longè ipsum biennio post flevit, quod postremam obiecit diem. Ejus, egregiâ cum laude, meminere Torquemada in Monarchia Indica tom. 1. lib. 5. à cap. 11. à pag. 608. editio- nis Madritanae 1723. Medina in Chronicis Provinciæ S. Didaci fol. 233. n. 815. Betancurt in Tractatu Civitatis Mexicæ pag. 7. n. 27 & seq. Aegydius Gonzalez in Theatro Ecclesiæ Mexicanæ pag. 23. corrigendus quod dixerit adductam Typographiam primam in Mexicanum anno 1532 à Nostro, qui non dum rerum potiebatur Americae hujus. Alios prætermittimus, ut ascramus & D. Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hispaniæ Novæ tom. 1. p. 113. & D. Antonium de Leon in Occidentali. Et Nicolaus quidem Nostrum propterea Scriptorum albo insertum existimat,

quod conscribi fecerit, non ipse conscriperit librum hispano sermone

*De naturalibus rebus & mirabilibus Nove Hispaniæ, cuius Operis meminit Leon Pinclus. Hic vero prater hoc Opus quod MSS refert col. 873. edit. novissima, col. 827. recenset ab illo profes- cas*

*Ordinationes legumque collecti- nem pro Conventu Juri- dico Mexi- cano. Mexici 1549. in fol. Quibus accedunt. Epistola quas ci- tata col. 873. insinuat non tam aperit. Invenimus vero apud Lasfor Avarea in Orbe Terrarum Scriptorum calamo delineato T. 2. verbo Nova Hispania p. 267. Litteram ex hispano in italam versam idioma, quæ sic habet latino*

*Epistola ad Imperatorem de re- cens apertis Regionibus in Hispa- niâ novâ Aquilonem versus. Vene- tij 1565.*

+ 314 F. ANTONIUS DE MEN- DOZA, Natione Mexicanus, cujus natale solum inclita Equi- tum Civitas Goatema, Parentes & ipsi nobilitate clari, Ordinem S. Francisci imjt in patriâ Provinciâ à SS. IESU nomine nun- cupata, in qua statim lumine propheticò insignis est habitus, proptereaque à multis consultus in arduis, quodque cœlesti, quo vi- debatur afflatus æstro, peritiam in moralibus minimè vulgarem adjunxerit. Aegrè quidem ferebat honorem his sibi nominibus

## AN

datum, ut qui propriæ demissio-  
ni addictissimus esset, ceteraque  
conspicuus virtute. Ex his quas  
elaboravit Responsionibus inqui-  
situs de Theologis practicis di-  
ficultibus, extant pleraque

*Consultationes Morales,*

Bibliopecgi operâ compaginata  
alias inter variorum, quas  
octo Tomis comprehensas habent  
Sodales in Bibliothecâ Cœnobij  
principi Goatemalensis, uti ipsi  
ad nos humanissimè detulerunt.  
Ibidemque conservant præterea  
hispano itidem sermone ejusdem  
Authoris

*Summam brevem Theologie Moralis.*

Meminit ejus Fr. Franciscus  
Vasquez in secunda parte Chro-  
nicorum ejusdem Provinciae lib.  
4. cap. 73.

+ 315 FR. ANTONIUS MI-  
CHAEL DE GALICIA, Natione  
Mexicanus & Patria, Ordinem re-  
ligiosum de Charitate S. Hippolyti  
Martyris ingressus, & solenni  
professione amplexatus. Prä-  
byteratu insignis, pius equidem  
& moratus, latisque instructus,  
pro ministrandis Ecclesiæ Sacra-  
mentis ijs præcipue qui ad Familiæ  
suæ Valetudinaria configuiunt  
ægrotis, ut horum & Sodalium  
prospicceret commodis, atque Sa-  
crorum agendorum reverentia &  
pietati, edidit hispano & latino  
sermone

*Manuale ad prescripta SS. PP.  
NN. Pauli V & Urbani VIII  
pro usu & regimine Sacra Religio-*

nis de Charitate S. Hippolyti Mar-  
tyris in Provincia Nova Hispania.  
atque Cœnobij ejus & Xenodochij.  
Mexici, ex Officina Francisci de  
Ribera Calderon 1716. in quarto.

+ 316 P. ANTONIUS DE MI-  
LLAN, Natione Mexicanus,  
forfatis & Patria, alumnus Societatis  
JESU, in Maximo SS. AA. Pe-  
tri & Pauli Collegio Mexico  
Rhetorica Cathedra Moderator  
cum esset, pro inolito florentissi-  
ma Scholæ sua more, Puerum Je-  
sus nascentem ut exciperet fe-  
stivis poeticisque numeris, atque  
pulchrâ etiam oratione solutâ,  
Sodalesque proposito themate in-  
vitaret ad latine & hispane pan-  
gendum, condidit

*Poeticam concertationem recens na-  
rum Iesum sub Manna Symbolo pro-  
sequentem.*

Habetur in Libris consimilis  
argumenti apud dicti Collegij  
Bibliothecam extantibus, ad an-  
num 1728. in folio.

+ 316 D. ANTONIUS DE MI-  
RANDA ET VILLAIZAN, Natione  
Mexicanus, apud Guxotzingo  
Urbem quindecim ab Ange-  
ropolitana lapidibus dissitam, na-  
tus est 4. Novembris 1657. è  
gente clarissima, parentibus D.  
Antonio de Miranda, & D. Au-  
gustina de Villaizan, à quibus  
procreati fuerant Mathias & Jo-  
sephus, multis & ipsi litteris ti-  
tulisque conspicui, pro ut de utro-  
que opportuno scripturi sumus in  
loco. Noster latine fatis cultus,  
Philosophia Theologiamque adçò  
alte

## AN

altè imbibit Angelopoli in Re-  
galibus SS. Joannis & Petri Co-  
legijs, ut laureis in Academiâ  
Mexicanâ donatus, pro aperien-  
do è Cathedra Aristotele in mox  
dictis Gymnasij Professor renun-  
ciatus fuerit, discipulosque philo-  
sophicis doctrinis imbuerit, qui-  
bus deinde sacram etiam Thco-  
logiam Magister & ipse ibidem  
aperuit, atque Rectoris vices ges-  
sit. Auditores in Philosophia  
suos, peracto Cursu, de more sub-  
diturus examini in Universitate,  
Mexicum petit, suisque alumnis  
gradu insignitis, tam ipse pro-  
batur Doctoribus, ut procedente  
nonnullo temporis spatio in Aca-  
demia destinetur Procuratorem,  
ejusdem apud Regis Curiam ne-  
gotia acturum. Nec sanè, quam  
conceperant, spes eos fecellit: nam  
demandata sibi provinciam præ-  
fervide arripuit, tamque industrie  
& è votis Academicis obivit, quâ-  
tum à diligentissimo fieri pot-  
erat, Apostolico in primis Recrip-  
to egregijs indultis & privilegijs  
gravido, tum etiam Regijs pro  
Universitatis decore Schedulis  
opportune transmissis.

+ 317 Hæc inter pro Ecclesiâ  
Guadalaxarense in Novâ Galicie  
Præbenda à Regedonatus, Ameri-  
cae sicutur, & gradatim ad apicem  
usque Decanatus perillstris Ca-  
pituli ejusdem Cathedralis eva-  
dit. Theologiam quidem in Aulis  
professus fuerat, sed tamen stu-  
dijs etiam haud vulgarem utrius-  
que juris peritiam comparaverat,

K2

## AN

qua Superiores invitati, & viri  
prudentiâ ac zelo, Vicarium Epif-  
copatus generalem octennio vo-  
luerunt, nec semel Episcopatus  
Gubernatorem, atque omnibus  
ipse atentissimè invigilans, spe-  
ctabilem se merito reddidit. Eccle-  
siâ suam ornare perpolireque ag-  
gressus, multis insignem operis  
bus, pretiosis suppelæctibus di-  
vitem, & ornato pulcherrimam,  
Angelopolitanam, quæ sanè Ba-  
silica est cultissima, imitari eximiâ  
religione conatus est. Adhæc  
Musicorum peritiam pro divinis  
officijs adjecit, & cum proprio ære,  
tum etiam aliunde quefito, an-  
nuos sumptus paravit, ut festi dies  
concepræ & assumpta in coelum  
Virginis Deiparentis, natalesque  
ejusdem sponsi Josephi, & Pro-  
to-Patentis Petri celebriores ha-  
berentur decantatis infolâ pom-  
pâ sacrâ precibus, quas in perva-  
gilij Sanctorum Ecclesia observat.  
Erga pauperes multa erat charita-  
te præditus, quibus subveniebat  
quotidie, corum aliquo ad men-  
sam secum prandente, & multis  
datâ opportunè stipe solatis, lat-  
giore nonnunquam in religio-  
sas Virginis elemofinas erogans,  
ut præscriptâ pro alimentis dote  
expedita, uni vacare Deo possent  
& infervire. Dissidentes in Repu-  
blica ad pacem revocare solen-  
tiae habuit, ægrotos solari, deque  
cunctis benemeriti.

+ 318 Tot inter Christianæ  
Virtutis officia pieras adversus  
Deiparentem Virginem emicabar,  
cui,

cvi, ut alijs interim devotionis parcamus indicjs, Novendialia indixit in Ecclesiâ suâ solennissima, ad aras canentibus Sacerdotibus, ipsoque pueros & populares non hortante modo ut publicè precarentur, sed exemplo eis præcente, quo Purissimam Matrem sub titulo de Rosario multis colerent, & gravissimâ per Urbe supplicatione devotissimè salutarent. Hæc ubi absolvit, Sabbatho proximè ad finem novendiarium secuto, sacra ipse mysteria cum cantu in honorem coelestis Reginæ peregit, & ecce apoplexiâ corripitur, in ædes ejus Imago sacra cui tot cultus detulerat, ut suppetias præstet, deferatur, illico, ceu proæteticem expectans, obit in Domino die 24. Maij anno 1713. ætatis 55. eximio nedum Civitatis & Curiae, sed totius Novæ Gallicæ Regni dolore, qui Parentem ipsum & benefactorem egregium coluerat. Capitulum Ecclesiæ suæ parentandum ipsi, præter solitam, graviori multo pompa decrevit, & Panegyricâ virtutes ejus Oratione & suggestu sacro laudari, quam doctissimè intextam & habitam à Viro multis quoque doribus ornatissimo P. Joanne Gonzalez de Villaverde, Mexicano, & PP. Oblatorum Præfectoro, Frater natu major Clarissimus Mathias à S. Joanne Baptista, Carmelitanus, edi curavit Mexici typis Luperca-nis codem anno. Ad scripta quod attinet Nostris, habemus publici

juris factum hispano sermone,  
Elogium funebre Illm. D. D.  
joannis de Santiago de Leon Gara-vito, Episcopi Guadalaxaren-sis. Me-xici, formis Joannis Josephi de Guillena Carrasco 1694. in quarto. Habetur, & seorsim, & unâ cum Vita ejusdem Antistitis edita à P. Michaele de Castilla, Societatis JESU, in Typographia Viduæ Bernardi Calderon, 1698. in quarto.

Reliquit in MSS

*Tractatus aliquor Theologicos.*  
Cursum Philosophicum, à Summulis ad finem usque nostratum more,  
Quem discipulis dictaverat, cu-jus propterea fuerunt multa exemplaria, quæ nos fugiunt in pra-tentiarium.

319 M. FR. ANTONIUS DE MOLINA, Natione Mexicanus, incububilis Goatemalensis, Ordinis Prædicatorum in Provincia S. Vincentij de Chiapa & Goatemala alumnus strenuus, & in afferenda regulari observantia insignis, à se lucubrata reliquit Opera, quæ statim exhibemus, aßervanturque Authographa in Archivio Goatemalensi ejusdem Provinciae, ut litteris ad nos inde datis accepimus.

*Vita illustrium Dominicanorum Provinciae de Chiapa & Goatemala*  
Fr. Andreæ del Valle, & F. Petri à S. Maria laici, qui apud Ciudad Real de Chiapa efflorauit, aliorumque Sodalium. Hispanâ lingua & grandi volumine.

*Excerpta e Sacris Biblijs pro illa-*

*fran-*

strandâ S. Rose à S. Maria Vir-ginis Limenjs Vitâ. Eodem idio-mate.

*Chronologia rerum Provinciae S. Vincentij Ordinis Prædicatorum, pa-trio itidem idiomate.*

~~320~~ ILLMUS. D.M.D. F. ANTONIUS DE MONROY, Natione Mexicanus, in florentissima Urbe Queretaro ortus est, genito-ribus præclaris stemmatibus in-signitis D. Antonio de Monroy, Civitatis Mexicanæ Decurio-ne, & D. Maria de Figueroa & Híjar, è quorum Familij multi alij conspicui admodum dotibus vi-ri prodierunt. A natali solo Me-xicum deductus, ut litteris ad hu-manitatem informaretur, inter alumnos Regij Christi Domini Collegij adscriptus, inde ut moris est, in Maximo SS. AA. Pe-tri & Pauli Societatis JESU Iltre-nuam Grammaticæ operam dedi- atque Rhetoricæ; tum Phi-losophiam apud idem Gymna-sium hauriens, Universitatisque albo conscriptus, ejus Aulas fre-quentans, Baccalaureatus lauream promeruit, haud perfunditorio subiectus examini, qua 6. Fe-bruario anno 1652. donatus eva-sit. Theologiae professoribus Aca-demicis nomen dedit eo ipso anno, cui excipienda incubuit, quo usque mense Junio sequen-tis, è Collegio suo in Cœnobium Imperiale Mexicum S. Domini-ci, in Prædicatorum Ordinem vocatus, transivit, præfinitoque tempore nuncupatis votis se Deo

mancipavit. Hinc perillustri Fa-miliae Collegio de Porta-Cœli, quod Provincia Sanjacobeæ Se-minarium est doctorum homi-num fecundissimum, & religio-se observantie laude præclarum, addicitur, ut cœpto litterarum itineri insistat, donec ad Theo-logici cursus metam accedat. Eam ubi tenuit egregio fructu, cùm doctrinæ, tum etiam virtutis, se ad Magisterium ita stu-dijs comparavit & usu, Philoso-phiam ut & Theologiam Soda-libus è Cathedra tradiderit in eodem Lycco, itemque in Maxi-mo Mexico Cœnobio, atque in-filâ propterea, exactis præfinitis ab Ordine annis, redimitus fue-rit.

321 Adhæc, Universitatem repetens Mexicanam pro capes-fendo Doctoris in Theologia api-ce, periculum facit, plaudenti-busque Academicis Viris, Docto-res inter amicuntur, & jure cen-sunt, ac demum pro regenda Cathedrâ Divi Thomæ Perpe-tuus Antecessor renunciatur. Quod vero scientijs excultus, juxtaque in utroque suggestu versatus, moribus observantissimi Religiōsi conspicuus esset, prudenterque præditus haud vul-gari, domesticas iussus est Prafe-caturas subire, Collegio supra di-cto Rector datus, dein Primarij Monasterij Provinciae Prior in-stitutus, observantie semper in-vigilans, quam exemplis, Sodales ut doceret, prius quam ver-bis

bis agebat, præbatque in arduis, adeo ut obdormiente forte qui media cæteros nocte erat excitatus pro sacris in choro precibus recitandis, ipse id officij subiret, & propria æs campanum manu agitaret & voveret. A Provincia sua Romam Procurator delegatur Deffinitorque, ubi casus accideret, qui certe, eo in Urbe agente propterea evenit, quod assumptio in Archiepiscopum Valentini Viro Clarissimum. Joanne Thoma de Rocaberti, qui universo Prædicatorum Ordini Magister præfuerat, Magistratus vacaverit. Indictis pro sufficiendo Generali Præfecto Comitijs, habitusque 5. Junij, Sabbato Pentecostes, anno 1677 Noster eligitur. Porro vix dici potest quantum ipse fuerit ab ambitu disitus, qui pridie comitiorum Suffragatoribus quibusdam eum uti Candidatum se daret suadentibus, palam repulit, cogitare se id minimè, nullumque tot inter gigantes haberi. Ubi autem ad id fastigij evectum se vidit, semel iterumque coram Pontifice Maximo Innocentio XI egit, ut insigne munus rejiceret, plura cauſatus, & tanto se imparem oneri ingenue professus. Bono tamen animo jussus esse à Sanctissimo, viresque à D. O. M. preſtolari, tandem acquievit, ad puppimque sedit vastissimæ navis, quam, Deo auspice, rexit novenno. Curæ quamvis prima ejus fuerint amplissimi per totum terrarum Orbem diffusi Ordinis

splendori in Domino, & bonis omnibus providere, alias inter urbanissimum & gratissimum vi- rum decentes, habemus Litteras ad Academiam Mexicam datas 14 ejusdem mensis anniique, quibus Parentem dilectissimam subi certam Officij sui redderet, testareturque egregium, quo aduersus ipsam esset, amorem. Eum certe quo in Deum & Familiam suam egregie ferrebat, testata sunt opera & virtutes eximiae.

322 Regulatis zelo disciplina erat insignis, vir cetera mansuetus, acerrimus tamè lantionum pro obſervantiā latarum index: & quod optime nosset, exempla Superioris efficacius longe subditos movere quam verba, præbat illis in vēstiu, vīctu, choro, cæterisque exercitationibus religiosis, tot inter negotiorum turbas nihil moratus quo minus adesse cum Fratribus. Justitiae litaturus, merita subjectorum appendebat ad trutinam, ut quæ munera cumque, gradus, & alia æquus arbiter distribueret: & ut paucis omnia dicamus, adeo integrum se geslit Regularum exactorem, & ab aslentionibus studijsque partium alienum, ut multorum proterea subierit invidiam, nec immerito fuerit veritus ne quid sequius accideret sibi, quin subinde ab instituto unquam deflexerit, aut legnius Dei gloriam curaverit. A Catholico Rege Carolo II destinatus Episcopus apud Michoacanenses

ſeu

ſeu Vallisoloranos Americæ noſtræ, ſe subduxit infulis, Patria nihil ipsum movente utrūq; inaugurus ipsam reviseret; & porro Archiepiscopatum Compostellatum cum primis insigne in Hispania, recusasset ſimiliter, ni Summus Pontifex Innocentius XI, cui obtemperaverat pro incunabulo Ordinis Magistratu, id etiam oncris ut ferret juſſet, ea tamē lege, ut Dominicanam Familiam moderati interea pergeret, quo uſque Comitia haberentur generalia die 1. Junij anno 1686. Succelfore ſibi dato ornatissimo Viro P. Antonio Cloche, itineri ſe uerſus Hispaniam dedit, Eccleſiam adiutus ſuam, cui ita adhæſit, annos ut unum ſupra triginta ipsam rexit. Primævos imitatus Eccleſię Patres, omnium ſe virtutum exemplar exhibuit, religioſe tam tenax vitæ quam maxi- me.

323 Opulentâ quidem multis annuis prouentibus ditatus Eccleſia, nulli in paupertate Religioso concedere videbatur ijs qui in ædibus ornatum, in menſa dapes, interius quo tegebatur ipſe vēſtimentum animadverterent: nam lancis contentus & habitu & ceteris ad ſubuculam uſque pro Ordinis ſui uſu indu- mentis, lincis perpetuo abſtinuit, carnibus parcens, ni ægra ſecūs valetudo depoſceret, pīſcibus uelci ſolitus, quibus quandoque ovum addebat, chartaceas in cu- biculo & pias è parietē ſuſpenſas

L2

ge-

Imagines devotioni quam orna- tui potius habebat, nullaque pro arcendis hibernis injurijs peri- ſtromata alia niſi ē rudi impolita lanā contexta, Cetera in Dei cul- tum, & ſubſidia pauperum efuſi- ſimus, nullis parcebat ſumptibus, de Ecclesijs propterea, Monaste- rijs, locis pijs, egentibusque om- nibus in ditione ſua benemeritus. Cathedralem multis & pre- ciosis ditavit muneribus, Pyxide ſcilicet oſtentoria ex puro puto argento conſlata, & hominis ſta- turā non inferiore: politiſſimā pro S. Jacobi Hispaniarum Apo- ſtoli & Patroni corpore ornando, ex auro, argento, pretiosis que lapillis ſupellecile: Organo affabré adeo & ad musicum con- centum elaborato, primaria ut inter Hispaniarum insigne jure audiat; alijsque & materiā & artificio multi habitis donis. Domi- nicanorum Compostellanae Civitatis Cenobium illuſtri Perity- lio, Triclinio, Dormitorio, Exe- drā, ſeu ut dici ſoler, Capitulo, Scalāque in primis famosa, mul- tum nobilitavit. In Monasterio S. Francisci Valetudinarium pro ægrotantibus, & pro coeteris Religioſis magnam cellarum partem adauixit. Sanctimonialibus, cùm Mercedensis Ordinis, turn etiam Dominicani egregiè profuit, quod earumdem altius exerxit Templa, ædificaverit Dormitoria, Sacella exerxit, Aedes muris concluſerit. Bibliothecam ſuam Societatis JE- SU Patribus dono dedit, idque

AN

genus alia in Dei cultum & piorum locorum decus efficit. Erga miseros vero tanta fuit charitate, ut ipsos præter, nil cogitare videretur, aut in pretio habere: eis ut abunde subveniret, sibi domesticisque suis parcissimo sumptu contentus, redditus Ecclesiæ per ampleres destinaverat, adeo ut religioni duxerit in consanguineos suos pauca erogare.

324 Hospitabatur in Palatio suo nepos ejus ex Sorore D. D. Antonius de Villa-Scñor & Monroy, Sacerdotium præstolatus Mexicanense, cui ubi à Rege Catholico datis litteris fuit præsentatus, quantocuyus navigaret injunxit, ne imposterum pane vesceretur pro Compostellani pauperibus destinato. Adeo fuit longè à gentilibus suis dignandis & Familia conquirendo splendore. Clavum eo tempore Mexicanii Archiepiscopatus tenebat Illmūs. D. D. Franciscus de Aguiar & Seixas, eximia & ipse in pauperes liberalitate & omni virtute ornatus, cuius in natali solo Gallecia sanguine juncti plures degabant; datusque vicissim & acceptis epistolis à Nostro, quibus erant Mexici consanguinei, alter alteri suos commendare placuit, neuter ut propria Diœcesis pauperibus alimenta suriperet, atque ut utriusque familia, sanguine quidem & avitis honoribus admodum dives, cetera satis inops, suppetias aciperet. Quotidianis eleemosynis

largiores multò tunc adjecit, cum non ita usu frequentes casus maiorem longè misericordiam & charitatem expostularunt. Pestifer Galliciam morbo invadente serpenteque quam latissimè, præsto adfuit ægrotis, quibus omni auxilio fovendis Xenodochia è Cœnobis facta lectulis instruxit, proque decumbentibus necessaria subministravit. Turbas quandoque tumultuatus populus excitaverat, atque quieti ut consuleret & paci Reipublicæ, apertis suis horreis inquietos compescuit, & concionibus hortacionibusque sedavit. Cum vero fames urgeret, quod deficitne pluvia, segetes evanuissent, publicam, cui interfuit ipse nudis pedibus Deum exoraturus, supplicationem, alijs haec tenus, ut videbatur, absque fructu peractis, instituit, tam felici quidem evenitu, ut festinato gradu incendendum fuerit deprecatoribus, ne copiosissimo imbre jam jam imminentem, mox vero cadente, maderent perfunderenturque.

325 Accuratus tamen animis quam corporibus vigilavit, enixe procurans uti Christiana in Diœcesi sua disciplina vigeret, atque hanc ob rem multorum invidiam passus gravesque obrectationes, quod desistere ab instituto pro conscientia sua haud posse videret, tæderetque ipsum tot inter fluctus inquietum pergere, Archiepiscopalibus subduci insulis cogitavit, & Angelopoli-

lita-

AN

litanas à Rege Catholico postulare, eo quidem consilio, ut brevi omnibus valediceret, his quod non dum ipsarum possessionem caprasset; illis autem quod se subtraxisset; possetque subinde cellam repere, ceu nidum in quo, gravis ætate & languore, imminentem mortem opperiretur. Ubi vero Compostellani hac olfecere, statim curlores arcessunt, qui mutatis subinde equis pervolent litterasque quam ocyssimè ad Regem deferant, quibus Senatus Populusque & Ecclesiæ Capitulum demississimè rogan, multisque obstantur momentis, ne Archiepiscopo annuat, incredibili totius dolore Diœcesis, maximam passuræ in illo jacturam. Voti compotes, dici vix potest quanta dederint signa lætitia, per inde quasi redivivū Parentem suscipient, denuoque inaugurato Principi ac Domino faulta acclamarent, ac sibi omnibus fortunas & vitam gratularentur.

326 Profecto Regi Carolo sic erat acceptus Antonius, ut Sanctus apud ipsum audierit, quo illum honestavit cognomine scripto Decreto, ne alias à Rege de negotiis illius judicaret, cavens nimis molestijs ita eum eximere, quas propterea tuleraut, quod pro Ecclesiæ sua & Dignitatis juribus vindicandis certasset. Philippum autem V qui proximus Carolo II successit, statim pro insula Americanis in Reges suos observantia & pietate, in suis transcribunt eruditissimi

Mmm

AN

fidelissimè Noster coluit, nutanteque in pluribus fide, quam juvaverat ipse legitimo Hispaniarum atque Indiarum Domino, mordicus asseruit, & Legiones nonnullas, solutis stipendijs, accire quandoque, ut in pertinacis fervore belli infervirent Phillipo, è re sua duxit. Ceterum, ut ab impostoribus Catholicum ac piissimum Regem eximere, Literas ad ipsum Magnatis Hispaniæ deferendas manu dare haud quaquam est veritus, quies cruditione juxta ac pietate plenis, antiquoque Ecclesiæ Patre dignissimis, lucem in maximo, quod agebatur, negotio, pro Dei gloria & Catholica Religionis affunderet.

327 His multisque intentum alijs pro munere suo Compostellani suspiciebant & mirabantur, multo tamen justius stupebant totos viginti annos lecto defixum, media sui corporis parte examinem, integrâ quidem mente, patientiâ incredibili, certaque virtute Deum cogitantem laudantemque, nec pastoralis curas officij, quas gerere ibi poterat, unquā intermittentem. Quoniam vero & isthac, & quæ diximus plura, aliaque bono in lumine collocata legimus in Encyclica, quam ejus in Ordinis Magisterio successor admodum Reverendus P. Antonius Cloche ad suos toto terrarum Orbe effusos scripsit, placet quidem fragmentum ad tabulas nostras revocare, quod in suis transcribunt eruditissimi

Galli

Galli Critici Annales Scriptorum Ordinis ejusdem clucubratus. Et ita quidem illud habet ad annum 1677. pag. 668. § 2.

328 Sanè Frarres dilectissimi, si tot beneficia quibus Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Antonius de Monroy Archiepiscopus Compostellanus, Sacri Ordinis Prædicatorum olim Magister, sibi devinxi Ordinem, dum illius per novem annorum spatum prefectorum gessit, in memoriam revocetis, omni proculdubio gravem facturam, quam tanti viri decessu patimur, nobiscum unà dolobii, nec committeritis unquam, ut apud vos intercidat fidelis rerum ab eo gestarum memoria. Recolite que illius fuerit in ponderandis negotijs maturitas, in gerendis cautio & integritas, in conficiendis diligentia, in providendo nequid religio derrimenti caperet singularis prudentia, in promovenda observatione disciplina regularis vigilancia. Vestris obversentur oculis avita illius pietas cum solida eruditione conjuncta, sincerus animi candor, sermonis ingenuitas, grata in moribus, in habitu, in cultu, in incessu modestia, ab omni fastu pompaque ambitione abhorrens. His virtutibus ornata secunda omnium gratulatione ordinem nostrum felicissime rexxit, & ex umbraculis vite religiose eductus atque Archiepiscopali dignitate inauguratus, nihil de pristino cursu, quem in ordine jugiter tenuerat, immutavit, palamque ostendit omnes virtutes, quibus in religione antehac præfuserat, modestiam, frugalitatem, parcimoniam, & nobis-

tem caducarum rerum contemptum non honore imminutas, sed magis aetas, novoque sacrarum insularum splendoris incremento fuisse decoratas. In eo prorsus summa erant omnia, ex quibus undique fuit perfectus, & detractis quibuscumque vitijs Episcopus cumulari debet. Sed præserum in ipso eminebat eximia charitas, quæ se se toram ad alienas utilitates ita porrexit, atque semper explicuit, ut nullus sit in amplissima Diœcesi Compostellana locus, quo non ille curarum & cogitationum partem derivaverit. At enim boni & omnibus partibus absoluti pastoris munia obiens illustrissimus Archiepiscopus, ea que jam injuria temporum delapsa defluxerant, aquifissimis legibus vinxit, mores emmendavit, restituit disciplinam, cultum Dei excitatis passim eisdem sacris instauravit, & ad veterem fanfimoniam omnia suis exemplis revocavit. Erga pauperes parens adeo munificus fuit, ut sui oblitus ac planè immemor, omnes suas opes in eorum finum benignè & liberaliter effunderet: nihilque secundum Deum antiquius haberet, quam ut sublevaret pauperum indigentiam, & remota plerumque bonum in conscientia, caloque teste honestarum familiarum angustijs & pudori consuleret: Quo factum est, ut obtentâ à summo Pontifice facultate, pauperes ex ase suis bæredes moriens instituerit, nihilque alijs reliquerit, nisi summum sui desiderium, & heroica beneficentia memoriam.

329 Sic pius ille Anistes per triginta annos in Archiepiscopatu-

Com-

Compostellano ab anno videlicet M. DCLXXXV ad annum M. DCCXV semper sibi constanti vita ratione vixit omnibus charus, & de singulis bene meritis sed potissimum de Ordine nostro, in quem ita se propensum exhibuit, ut Monasterium jam vetustate collapsum suis impensis omnino resarcendum curaverit, & ad seram usque posteritatem curas suas & cogitationes convertens, collegium instituerit dotaritque eae suo ubi religiosi juvenes senioris theologia tyrocinia ponerent, atque germanam haurirent pietatem, quæ se quaquaversum latissime propagaret. At quantus quantusve vivens fuerit religiosus noster Anistes, maior tamen se ipso moriens visus est. Non mens ei senio fracta, non oppressa morbo, non extincta languore. Per viginti annos integros media sui corporis parte exanimis lecto defixus decubuit; nullus interea gemitus, ac ne doloris quidem signum ullum, impatiens nulla, eadem vultus hilarietas, animus calcoli latitudo delibetus, plenus divinarum laudum sermo, idem intrepidus ad extremam usque vitæ periodum in vindicandis Ecclesiæ sua iuribus vigor. Sic ab annis eorum infirmitate vires accipiens, non cessabat grates immortales Christo servatori amantissimo rependere, quod ipsi crucis particulam impertiret. Deo quo quod habebat corporis partes, cœtu totidem victimas immolabat, lætusque cernebat se in dies aliqua sui parte Christo confugi cruci. Demum aeternitatis candidatus, celo jam matutinus, & in sua quam religiosæ pau-

M<sup>2</sup>

rum

pertatis amans elegerat, abjectissima colla, solis cœlestibus bonis inhabens, mortem serena fronte aspexit, quam omnibus Ecclesia sacramentis munitus, tranquille inter manus Fratrum suorum oppedit inuenit anno etatis sue LXXXIII die VII Novembris anni æra christiana MDCCXV. Hactenus ornatissimus P. M. Cloche, subdunt vero pererudit Crichtici.

330 Quæ in his litteris de singulari & eximia Archiepiscopi nostri in vita parsimonia, summa vero erga exteriores liberalitatem leguntur, experti sunt & comprobant classis Gallice duces & milites omnes in funesta illa ab Anglis ad portum Vigo accepta clade. Tum enim in Galliciam ingressi, & palantes rebus omnibus spoliati, ab eo laute & opipare accepti sunt, & necessariis omnibus abunde suppeditatis omnium officiorum genere divisi. Hinc in Franciam reversi magnificentiam Archiepiscopi unda & sanctitatem ubique & in aula ipsa Ludovici XIV predicaverunt, seque verum Ecclesiæ pastorem vidisse gloriati sunt. Hæc illi.

331 Ad nostrates ubi luctuosissimi funeris nuntiæ ex Hispanijs litteræ sunt dclatæ, egregio omnium ordinum homines dolore de gentili suo perciti, ijs graviores acutioresque mæstria aculeos infixit, qui proprius Heros è vivis sublato, aut sanguine fuerant, aut institutis, à quibus subinde iusta fuere soluta, qua decebat undique Illumum. Vi-

rūm pompa. In Metropolitanā Ecclesia Parentationem accuravit ejus ex Sorore nepos, quem diximus D.D. Antonius de Villaseñor & Monroy, qui id temporis Archidiaconum agebat, dein verò in Decanum evēctus fuit, multis alijs obitis egregiè muneribus clarus, Dicccelis Vicarius Generalis, & Sanctæ Cruciatæ Regij & Apostolici Tribunalis Commisarius Generalis Subdelegatus, excitata funesta mole, atque invitatis una cum Archiepiscopo V. D. D. F. Joseph de Lanciego & Eguilas, atque Ecclesiæ Capitulo gravissimo, moxque dicto ornatissimo Tribunali, Academiâ Mexicanensi, omnibus Religiorum cætibus, Primarijsque & Nobillissimis Civibus Mexicanis, quibus & dolori fuerunt & admirationi Compostellani virtutes Presulis optimè ad oratorios ornata numeros Oratione pro-palam factæ à D. D. Luca de Verdigue, Canonico Magistrali, usu multo & pari eruditione ad dicendum eximiè comparato, prodijque concio typis Lupercianis anno 1716. Universitas dein Mexica Doctori suo cum primis insigni & Antecessori quandam spectatissimo supremi dici indixit solennia lugubria, frequentissimâ Academicorum, Religiorum, Collegiorum, Scholiarium que omnium concione, qui vespere convenientes, post Ecclesiasticas cùm cantu preces auditæ, latinâ dicentem Oratione ex-

cepere D. D. Joannem Hernando de Gracia, insulatum Magistrum, dein Metropolitanā Ecclesiæ Prabendatum, & deinceps Canonicum; mane autem tursus coactâ florentissimâ cùdem corona, ad aras solennissimè est actum, atque è superiori loco elogium vita functi Archiepiscopi, hispano quod sermone texuerat, eloquentissimè recitavit D. D. Bartholomeus Philippus de Ita & Parra, Antecessor & ipse Academicus, postmodum Canonicus iridem à Concionibus, atque typis procussæ utriusque Doctoris Orationes exiere formis annoque nuper dictis. Nec porrò Dominicani Mexice in colendo Magistro Generali suo atque Parente, hujusc Sanjacobe Provincia filio ornatissimo decore que eximio, ceteris concessere, exequijs ejus maximâ ductis popâ & æquali mœstia. Quod ad scripta attinet ejus, cognita fuere Criticis Ordinis jam laudatis alia nulla præter

*Registrum ejus litterarum, dum Ordini praefuit, Romæ servatum;  
Et Ordinationes pro recto Ecclesiæ Compostellanae regime.*

Quibus comperta nobis adjicimus & typis data & MSS sequentia.

*Laudatio Funebris ad Regias Augustissimi Philippi IV Magni Hispaniarum Regis & Indiarum Imperatoris Exequias habita in Regali Conventu S. P. N. Dominicis die 25 Mensis Augusti anno Domini 1666.*

Prima habita Feria quinta in Canna Domini. Anno 1678.

Secunda dicta in Festo S. Parentis Dominici, Anno 1683.

Tertia recitata in Pervigilio Nativitatis Servatoris nostri Iesu Christi. Anno 1684.

Quarta pro Vigilia itidem S. Dominici. Anno 1684.

Quinta panegyrico moralis in honorem Deiparentis Virginis, quam SS. Trinitatis Complementum appellat, multisq; doctissimè probat. Extant in Scrinijs D.D. Josephi de Garaicochea, stirpis illimi. viri germen, cui subinde consignata fuere à Domino Decano Villa-Senor avunculo suo.

Præterea extat Epistola ad SS. D. N. Innocentium XI supplex pro Beatificatione Servi Dei V. Sebastiani de Apparicio, edita Romæ in Typographia Reverendæ Cameræ Apostolice, tacito anno, habetur que in Libro, cui datus Italice titulus: *Summarium in Canja Mexicana Venerabilis Serui Dei Sebastiani de Apparicio in fol. cuius copiam nobis fecit D. Joannes de Imaz Esquer, à Secretis Universitatis Mexicæ, Causidicus que doctissimus.*

In Tabularijs Dominicanis America nostræ asservatur Epistola ad universam Familiam datum temporis cùm Magisterio Nostre potiti cœpetat, cuius exordium *Ad Ordinis apicem, Romæ ad Minervam 1. Augusti 1677.*

Item Acta seu ordinationes pro singulis Indiarum Provincijs; quas sic

sic condivit ordinationes, utile ut dulci opportunè miscuerit.

Demum legimus *Epistolam hispanā* lingvā datam ad Marchionem de la Mexorada paginas plus viginti adimplentem, ut scriptis Regis nomine, & titulo *Expositiones* vulgo *Manifestos* anno 1709. publicatis, faceret satis, Principemque suum ab impostoribus liberaret. Sunt ejus Mexici & alibi exemplaria quam plura.

Scripta Theologica, quæ docendi partes expensi & in Academia Mexicana & in domesti- cis Gymnasijs pro erudiendis juvenibus concinnavit, siletio properca involuta relinquisimus, quod eorum nos tituli fugiant & argumenta, ut codices ipsi Academicum Archivium Librumque pro signandis annuis præcettioribus effugerunt, non dum missis in possessionem statutis hæc præcipientibus.

Nostri, nec sine elogijs debitis, meminere Clarissimus D. Carolus de Siguenza, tum in Libro de Queretarenſis Urbis decore & gloria pag. 6. tum in Trium- pho parthenico fol. 89, col. 1. P. Balthazar de Medina in Chro- nici Provinciae S. Didaci Mexi- canæ Franciscanorum nudipedum fol. 255. n. 887. P. Franciscus de Florencia in Historia Societa- tis JESU Provincia Novæ Hispaniæ pag. 82. num. 86. P. Julianus Gutierrez Davila in Monu- mentis Historicis Congregatio- nis Oratori Mexicanensis parte

1. pag. 30. n. 65. ubi & brevem nostri ad Oratorienses PP. Epis- tolam afferit, & pro eximio ad eosdem transmissio dono, particu- la scilicet ex præcordijs S. Phi- lippi Nerij deprompta, grati re- stimonium animi exhibet; & pag. 87. num. 216. è MSS. Plaza in Chronicis Universitatis lib. 5. to- to cap. 24.

332 D. ANTONIUS DE MO- RALEZ PASTRANA, Natione Mexicanus & Patria, amenio- ribus unà & sacris litteris de- lectatus, cùm hispanis, tum etiam latinis, nec minus so- lutâ doctis quam ligata oratione, multi ab eruditis habitus ut ex corundem censuris Opusculo 1. mox laudando præfixis sit palam; doctrinæ specimen &, fa- cudiæ juxtaque pictatis exhibuit, publicatis, multa imbutis eruditio- ne, hisce Opellis idiomate his- panio.

*Solemnis, plausibilis, & festiva pompa pro Beatificatione plaudenda Gloriose Virginis Limenis Rose de S. Maria. Mexici, ex Typographia Luperciana 1671, in quart.*

*Sanctissima Virginis Deiparentis Dolores metro expositi. Mexici, ex Officina Joannis Josephi de Guillea Carrasco 1694, in octavo.*

+ 333 D. ANTONIUS MORE- LOS, cuius Natio nobis & Pa- tria sunt in anticipo, apud novam Galliciam Aetuarium Regius, non ita publicis conficiendis deditus instrumentis, ut in amerioribus

litte-

litteris non ipse instructus satis esset atque eruditus; nec forum sic quotidie frequentans, ut non itidem Parnassum adiret, sua ad- versus Musas unà Præsidemque Regij Goadalaxarenſis Conventus juridici gratitudinis & observan- tiae testimonium scripto dedit, quod nobilissimæ ejusdem Civi- tatis nomine posuit, hispanis veribus prosequens debitas vi- to laudes illustri, qui insignem flumini magno dicto Tololo- tlan, pontem super induxit, alia que in Reipublicæ commodum monumenta egregia posuerit. Ti- tulus opellæ sic habet hispanicè scripte.

*Grates à Nobilissima Fidelissima que Urbe Goadalaxarenſi relata illa- stri admodum D. Thoma Teran de los Rios, Gubernatori suo, quod Pon- tem fluvio magno Tololotlan egre- gium dederit, aliaque, ipso rerum po- nente, opera utilitat acceſſerint pu- blice. Mexici, apud Joannem Fran- ciscum de Ortega 1721. in quart.*

334 Fr. ANTONIUS MORE- NO, Domicilio quidem Mexicanus, sinminus Patria & Natione, quorum incerti sumus, Pro- vinciæ S. Evangelij Franciscano- rum PP. alumnus, Conventus que Mexici Guardianus, Pri- marius Sacrae Theologiæ Lector, & apud S. Inquisitionis Officium à Censuris, concessionem à se ha- bitam in Templo S. Joannis de Deo Hospitalitatis Parente, pro iphius in Cœlitum album recens scripti heroicæ virtute laudibus ef-

Nz

Even-

ferendâ, typis excudendam tradi- dit cum alijs per oſtiduum id loci dicitis, cæterisque solenniſ- simo in festo religionis juxta & ingenij monumentis. Extat his- panio sermone

*Panegyris in Canonizazione S. Joannis de Deo.*

In Libro de Apoteosi S. Fun- datoris Mexici celebrata ab ejus Instituti Provinciâ Sancti Spiritus, Authore D. Joanne Ramirez Sah- tibañes. Mexici, ex Typographia Luperciana 1702. in quart.

Mss Nostri

*Traditiones Philosophica & Theologica. Concionesque*

Si in has paginas adducantur à Socijs grates ipsis habebimus.

335 D. ANTONIUS DE MOR- GA, cuius Natio nobis incomper- ta est & Patria, Domicilio Me- xicanus, ad Philippinas Insulas id temporis trajecerat, cùm primum Senatus Regius ibidem institue- retur; ad quem evenitus quod & Doctor esset juris peritus & cœ- terâ pro munere virtute polleret, non eo tantum nomine insignis evasit, sed quod etiam Guber- natoris hon ita pridem detecte Regionis vices strenue gesserit, non minus bellicis expeditionibus clau- rus, quam prudentia & consilio in Reipublicæ negotijs agendis illustris. Inde Mexicum delatus, Togatis ijs adscriptus Regis im- perio fuit, qui Vindices crimi- nium audiunt, atque interea loci edidit idiomate hispano librum scriptum,